



Pastoralis Sollicitvdinis, Sive De Officio, Et Potestate Episcopi

Tripartita Descriptio. Cvivs Pars Prima Episcoporum institutionem, ...
Secvnda Quicquid ad Episcopi est potestatem, ... Tertia Quod ad casuum
reservationem, ... Methodo Noua, & expedita complectitur

Pastoralis Sollicitvdinis, Sive De Officio, Et Potestate Episcopi

Barbosa, Agostinho

Parisiis, M.DC.XXV.

Glos. 3. Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98615)

S Y M M A R I U M.

- 1 Episcopus non solum mortifero vitio, sed illius suspitione profusus carere debet.
- 2 Episcopi est non solum turpia vitare, sed virtutis suae praestantia multitudinem erudire.
- 3 Exempla potius quam verba homines malunt.
- 4 Irreprehensibiles esse conuenit, quos praesse necesse est corrigendis.
- 5 Gradus quanto altior est, tanto ruina grauior.
- 6 Ducatum hominum suscipere non debet, qui nescit homines bene viuendo praere.
- 7 Superhumorale in Episcopis quid significet ostenditur.
- 8 Mali non curant respicere meliores.
- 9 Irreprehensibilis ideo requiritur Episcopus, ut virtutes omnes in eo comprehendantur.
- 10 Principes sunt instar lucentium gemmarum.
- 11 Declaratur illud Euangelij Matth. 5. Vos estis sal terrae, &c.
- 12 Agens omne agit sibi simile.
- 13 Manus sordida aliam non lauat.
- 14 Charitas ubi est, ibi & Sanctitas.
- 15 Episcopus debet ad exemplum viuendi pertrahi.
- 16 Exemplar probitatis suae Episcopus praebere debet.
- 17 Episcopalis administrationis finis est populos commissos doctrina, & exemplo ad Deum dirigere.
- 18 Superiorum vita, & exemplum magis quam omne aliud ad pietatem, & Dei cultum assidue instruit.
- 19 Sacerdotalis dignitas cum aliis videatur dignitatibus eminere, ita quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandum debet ostendere.
- 20 Apostolus cur in praesenti loquatur tantum de Episcopis, & Diaconis, non vero de Sacerdotibus, ostenditur.
- 21 Pastorum bonorum exempla quemadmodum tam potenter ad virtutem nos alliciunt, ita contra malorum longe potenter ad malum trahunt.
- 22 Principes plus corrumpunt exemplo, quam peccato nocent.
- 23 Principis vita censura est ad quam dirigimur, ad quam conuertimur.
- 24 Praelatus peccans tot mortibus dignus est, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit.
- 25 Pastor cum per abrupta graditur ad praecipitia grex sequitur.
- 26 Pastoribus subesse malis nihil aliud est nisi, ut plebs populanda praedonibus permaneat & inde sumat interitum, unde protectionis debuit habere subsidium.
- 27 Princeps debet esse Reip. quod oculus corpori, quod intellectus animae.
- 28 Episcopi sunt astra cali, quorum vita inter peccata errores hominum quasi inter noctis tenebras lucent.
- 29 Digressi an vero digniorem ad pastorale munus eligere teneamur, ostenditur, & numer. trigesimo, & 31. & 32.
- 33 Cardinales an peccato commaculentur, restitutione iungantur, qui non impediunt nominatum, si aliorum digniorem arbitrentur, ostenditur.

O P O R T E T E N I M

Episcopum irreprehensibilem esse.

G L O S. III.

EPISCOPVS cum omnes curae suae subiectos doctrina, & exemplo expurgare ac perficere debeat, oportet eum non solum mortifero vitio, sed illius etiam suspitione carere, nam, ut ait Gregor. Naz. in apolog. 1. Cuius vita despiciatur fieri vix potest, ut etiam praedicatio non contemnatur; affirmatque non sufficere illi, qui alios ad virtutem erudire parat, ut se ab onni peccati labe purum conseruet, nisi alios longe antecellat virtute; & ibi Elias Cretensis, inquit quod Antistitis est non solum turpia vitare, sed virtutis suae praestantia multitudinem erudire, quia, ut ait Diuus Hieronymus, scribens Oceanus epist. 83.

2 Futurus Pastor Ecclesiae talis eligitur ad cuius comparationem recte grex ceteri nominentur. Et dicit Isid. lib. 3. de summo bono cap. 42. Qui praeficitur ad regimen taliter erga disciplinam subditorum praestare se debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat: sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis ne dissoluatur vita subditorum in vitis, atque ita auctoritas aderit potestatis ne per tumorem cordis, seueritas exsistat immoderationis. Summa igitur Episcopaliū virtutum ad vitae integritatem, atque innocentiam est referenda, cum homines malint potius exempla, quam verba, ut inquit Lactant. lib. 3. diuin. inst. quia ut admonet August. ad Pastores tom. 10. Episcopus honeste, & ut Christianum Antistitem deceat, viuat, caueatque ne suo exemplo subditis noceat. Et Abimelech Rex cum ligna cederet, & portaret dicebat suis Iudich 9. quod me vidistis facere, cito facite. Quod & Saluator ipse praecipit Matth. 5. dicens. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem, vestrum, qui in caelis est. Vnde colligi potest in quantum distare debet Pastor à grege, dum istos homines, & illos plusquam homines, id est, lucem hominum Dominus voluit appellari. Et ita sine crimine eos esse oportet, ut hunc Apost. locum intelligit glossa ordinaria, vel sine notabili defectu, & integra fama, prout interpretatur Nicolaus de Lyra, ut illud possint dicere cum Christo Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Et Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et illud Apost. 1. ad Corinthios 4. Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi. Nam si Pastor, inquit Gregorius 1. par. Pastoralis capit. secundo, per abrupta graditur, grex profecto ad praecipitia sequetur: aut qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat: ita tunc debet actionem populi actio transcendere Praefulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris, qui enim loci sui necessitate exigit summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare, ne subditi in exemplo eius, qui praest, quasi in obstaculo itineris offendant: Sacerdo-

tes namque vocamur, quod ideo praſumus, vt
 Scrum ducatum fidelibus praebamus; nullique
 illicitum videatur, inquit *Ambroſius de dignitate*
Sacerdotali cap. 6. quod ab Epifcopo quaſi licitum
 perpetratur.

4 Vt in Sacerdotibus ordinandis, quæ ſunt à
 Patribus præſcripta, & definita cogitetis, quia
 ſicut eſt caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti autem
 Vicarij Sacerdotes, ſic & in eligendis his curam
 oportet eſſe perſpicuam. Irreprehenſibiles enim
 eſſe conuenit, quos præſeſſe neceſſe eſt corrigendi-
 ſ, nec quidquam illi deſſe perſona, penes
 quam eſt religionis ſumma, & ſubſtantia diſci-
 plina: Aſtinet quis pretium Dominici gregis,
 vt ſciat quod meritum conſtituendi deceat eſſe
 paſtoris ex *Anſelmo*, & alijs refert *Ant. Aug.*
in epiſt. iuris Pontificis lib. quarto tit. 5. cap. 11. Et
Sanctus Hieronymus ad cap. 3. Micheæ ita dicit. Re
 vera, qui ad hoc eliguntur, vt cæteris præſint,
 ſicut præordinantur dignitate, ſic præeminere de-
 bent ſanctitate.

Providendum igitur, ait idem *Ambroſius ubi pro-*
xime cap. 2. dum agit de ſublimitate Epifcopali, ne
 ſit honor ſublimis, & vita deformis: ne ſit deiſi-
 ca profeſſio, & illicita actio, ne ſit religioſus a-
 mictus, & irreligioſus prouectus: ne ſit gradus
 excelsus, & deformis excelsus: quia ſicut nihil eſſe
 dicimus Epifcopo excellentius, ſic nihil eſt miſe-
 rabilius ſi de ſancta vita Epifcopus periclitetur,
 ſi Sacerdos in crimine teneatur.

5 Nam quantò gradus altior eſt, tantò ruina
 grauior: honor grandis, grandiori debet ſolici-
 tudine circumuallari. Ideo igitur prerogatiua ho-
 noris monſtratur, vt merita congrua requiran-
 tur.

6 Non debet hominum ducatum ſuſcipere, qui
 neſcit homines bene viuendo præire, ne qui ad
 hoc eligitur vt aliorum culpas corrigat, quæ &
 reſecare debuit, ipſe committat. Imò locus re-
 giminis, cum regendus offertur in ſe prius neceſ-
 ſe eſt, vt quiſque diſcutiat, ſi loco vita congruat,
 ſi ab onere actio non diſſentiat, ne iuſtus omnium
 rector, eò poſt in tribulatione preces non audiat,
 quo ipſa quoque eius, de quo tribulatio oritur,
 exordia honoris ignorat. Paſtor ergo debet ille
 fieri, qui cunctis paſſionibus moriens, iam ſpiri-
 tualiter uiuit qui proſpera mundi poſtponit, qui
 nulla aduerſa pertimeſcit, qui ſola interna deſi-
 derat: cuius intentioni bene congruens, nec
 omnino per imbecillitatem corpus, nec valde
 per contumaciam repugnat ſpiritus: qui ad alie-
 na capienda non ducitur, ſed propria largitur,
 qui per pietatis viſcera citius ad ignoſcendum
 fleſcitur; ſed nunquam pluſquam decet, igno-
 ſcens, ab arce reſtitutionis inclinatur, qui nulla
 illicita perpetrat; ſed ab alijs perpetrata, vt pro-
 pria, deplorat: qui ex affectu cordis aliena inſir-
 mitati compatitur, ſicque in bonis proximi, ſicut
 in ſuis proſpectibus lætatur, qui ſe ita imitabilem
 cæteris in cunctis, quæ agit, inſinuat, vt inter eos
 non habeat, quod ſaltem in tranſactis mens eru-
 beſcat, qui ſic ſtudet viuere, vt proximorum
 quoque corda audentia doctrinæ valeat fluentis ir-
 rigare, qui orationis uſu & experimento iam di-
 dicit, quod obtinere à Domino, quæ propoſue-
 rit, poſſit.

7 Audi Prælate illud *Brunonis in Exod. ſuper ver-*
ba illa, ſuperhumerali, &c. ubi ait. Reſpice Epifco-

pe ad onus, quod portas, reſpice ad ſuperhume-
 rale. Vides ibi aurum, da operam & ſtudium ſa-
 pientia: Vides ibi Hyacinthum, intueri cælum,
 & contemplare Deum. Vides ibi purpuram, ſer-
 uia iuſtitiam. Vides ibi coccum bis tinctum, tin-
 gat te, ſi neceſſe fuerit, pro Dei & proximi dile-
 ctione ſanguis Martyrij. Vides ibi byſſum retor-
 tam, carnem doma, macera, & afflige, vt & ſpi-
 ritui ſeruiat, ſemperque candidior, & mundior
 fiat: ſit autem ſuperhumerali opere polymito,
 multisque coloribus variato quatenus in pulchri-
 tudine exteriori, qualis interior eſſe debeat, faci-
 lius Epifcopus intelligere valeat.

8 Heu me (exclamabat Sanctus Præſul) quia
 nondum excitatus à ſomno terrenarum affectio-
 num cum Samuele, neque cæleſti carbone pur-
 gatus cum Eſaiâ, neque lingua à Deo tactus
 cum Equitio monacho (de quo refert *Gregorius*
in dialog. libro quarto c. 4. p. 4. quod ſenſit ſibi à Deo
 tangi linguam, vt ſe deinceps non poſſet conti-
 nere) cum nihil horum haberem in magiſtrum
 populorum datus ſum. Præui, ait *Gregorius*, non
 curant reſpicere meliores, quos imitentur, &
 quorum comparatione nihil ſunt, ſed peiores,
 quorum comparatione aliquid ſibi eſſe viden-
 tur.

9 Irreprehenſibilem eſſe Epifcopum requirit
 Apoſtolus, vt hoc vno ſermone, teſte *ſancto Hiero-*
nymo epiſt. 83. ad Oceanum cap. 4. virtutes om-
 nes comprehenderet, & in hoc pene rem contra
 naturam exigit. Si enim omne peccatum etiam
 in verbo otioſo reprehentione dignum eſt, quis
 eſt, qui abſque peccato verſetur in hoc mundo.
 Vnde *ſanctus Hieronymus lib. primo aduerſus Pelagium*
cap. 8. Primum quod dixit irreprehenſibiles, aut
 nullus, aut rarus, quis eſt enim, qui non, quaſi in
 pulchro corpore, aut nauium, aut verrucam ha-
 beat. *ſanctus Chryſoſtomus homil. 10. in 1. Timotheam.*
 ibi Irreprehenſibilem. Hoc vnico verbo, ait, ge-
 nus omne virtutis expreſſit. Itaque qui ſibi, vel
 leuiſ culpæ conſcius eſt, male proſpecto facit eam
 rem appetens, qua indignum ſe per opera fecit.
 Non enim decet eiſmodi regere, ſed potius regi.
 Eum quippe qui regendos alios ſuſcipit, tanta
 decet gloria virtutis excellere, vt inſtar ſolis car-
 ros veluti ſtellarum igniculos in ſuo fulgore obſcu-
 ret. Debet huiusmodi vitam habere immacula-
 tam, atque compoſitam, vt in illum omnes, &
 in eius vitam, velut in exemplar, aliquod excel-
 lens intueantur. Non ideo abſque ratione *Apoſto-*
lus huiusmodi monitis vitur, quia par erat plu-
 rimos eius rei deſiderio allici, idcirco illum tanta di-
 ligentia pingit, vt qui ſe ad eam rem præparare
 vellent, ad quantam virtutis celtitudinem ſibi eua-
 dendum eſſet, agnoſcerent.

10 Vnde *Plutarchus libro de doctrina principum.*
 Sunt Principes, inquit, tam Sacri, quam pro-
 phani inſtar lucentium gemmarum; atque adeo
 ſi quis in illis nauus appareat, detractioſi patet,
 & calumnia. Et *Clemens libro ſecundo Conſtitut. ca-*
pit. 11. O Epifcope ſtude munditia operum ex-
 cellere, cognofcens locum, & dignitatem tuam,
 tanquam locum Dei obtinens, eo quod præes
 omnibus, Dominis, Sacerdotibus, Regibus, Prin-
 cipibus, Patribus, Filiis, Magiſtris, atque ſubditis
 ſimul omnibus.

11 Ideò virtutum omnium abſolutionem ab Epi-
 ſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus iure ſuo poſſu-

lat Saluator noster *Math. 5.* Vos estis sal terræ, vt sicut sal insipidis saporem rebus dat, easque ne corrumpantur, conseruat, ita & vos insulos homines sapientia, & virtute conditis docendo veritatem, & exemplo bonis in moribus confirmando. *Ibid.* Vos estis lux mundi, vt eum doctrina & probitate vestra illustretis. *Deinde.* Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, cui scilicet vos similes estis. Itaque neque latebras sceleribus quarere potestis, neque vt veritatem non doceatis vos abscondere, & occultare. *Ps. primo.* Neque accedunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Accendi vos vt lucernas, non vt lateatis, sed doctrina, & sanctitate luceatis.

12. Constat ita esse natura comparatum vt omne agens agat sibi simile, homo enim generat hominem, equus equum, & ignis ignem, quod non solum in iis, quæ à natura, sed in iis etiam, quæ ab arte efficiuntur, videre est; pictor enim esse debet, qui alium pictorem faciat, & Philosophus, qui Philosophum, & musicus qui musicum, quisquis ergo alios sanctos efficere debet, sanctissimus vt sit necesse est, cum nemo aliis dare possit, quod ipse non habeat. Neque vulgari aliqua, sed eximia atque excellenti sanctitate opus est, vt alios tui similes efficias. Semper enim effectus in causa sua eminentior, atque fortior est: vt fulgor ipse syderum, qui à sole dimanat, longe splendidior in ipso sole, quam in altis est. Ergo maxima sanctitate fulgere debet is, qui velut sol quidam sanctitatis, in omnes alios tanquam sydera quadam sanctitatis suæ radios emittere debet, quique tanta fulgeat sanctitate, vt de eius plenitudine omnes accipiant. Vnde cum in lege veteri *Num. 19.* Dominus aquas expiationis & cineres vacce ruse ad purificationem hominum designasset, munus tamen hoc mundis hominibus commisit: vt sic mundus lustraretur immundum, & ita demum emundaretur. Vides ergo quomodo mundum esse oportet, qui aliorum sordes debeat expiare. Recte enim *Ecclesiastic. cap. 34.* ait. Ab immundo quis mundabitur.

13. Cui simile est illud *Gregor. moral. libr. septimo.* Manus fordida aliam non lauat, & oculus plenus puluere, maculam non considerat, ita mundus debet esse, qui vult aliena corrigere. Nihil enim est, vel ad perniciem Ecclesie nocentius, vel ad decorem monstruosius, vel ad publicam salutem infensius, quam si is, qui omnes dignitate præt, moribus, & vita sublit: quam quidem in dignitatem appositis verbis *Diuus Bernardus ad Eugenium* testatur hoc modo. Monstruosa, inquit, res est gradus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus levis: caput canum, & cor vanum: facies rugosa, & lingua nugosa: ingens auctoritas, & nutans stabilitas.

14. Sanctitas Episcopi præsertim consistit in charitate, quia ubi charitas est, ibi & sanctitas omnis, ac vita puritas est, adeo vt quantum quisque habeat charitatis tantumdem habeat & virtutis. Ait enim *Bernard. super Cantic.* Quantitas vnus cuiusque anime aestimatur ex mensura charitatis, quam habet, vt verbi gratia, quæ

multum charitatis habeat, magna sit, quæ parum, parua; quæ vero nullam nihil omnino sit, dicente nostro *Apost. 1. ad Corinth. 13.* Si charitatem non habuero nihil sum, quod manifeste patet in Euangelio *Ioan. 21.* Volens enim Dominus constituere Petrum Vicarium, prius interrogauit eum ter. Diligis me? & deinde ei dixit. Palce oues meas, & *Chrysostom. de sacerdotio, libro tertio,* inquit, Certe Christus prodigijs, & miraculis posthabitis, quæ ab Apostolis edenda essent, ostendit his verbis. In hoc cognoscent homines quod discipuli mei eritis, si charitatem inter vos mutuam habueritis *Ioan. 13.*

15. Ille, inquit *Gregorius in pastor. libro primo, cap. decimo & undecimo,* modis omnibus debet ad exemplum viuendi pertrahi qui cunctis carnis passionibus viuens, iam spiritualiter viuunt qui prospera mundi postposuit, qui nulla aduersa pertimescit, qui sola æterna concupiscit, cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corporis, nec valde per contumeliam spiritus repugnat. Ille nihilominus ad dignitatem pastoralis officij debet prouehi, qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur, qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed non plus, quam decet, ignoscens, ab arte rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetratur, sed perpetrata ab alijs, vt propria deploratur. Qui ex affectu cordis alienæ inimitati compatiatur, sicque in bonis proximi, sicut in suis proculibus letatur. Ad dignitatem Pontificalis excellentiæ recte peruenit, qui ita se imitabilem ceteris in cunctis, quæ agit, insinuat, vt inter eos non habeat, quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet viuere, vt proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis vñu experimento iam didicit, quod obtinere à Domino, quæ poposceat, possit, &c. Quæ mente apud Dominum intercessionis locum, pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiæ esse per vitæ meritum nescit: aut ab eo quomodo alijs veniam postulat, qui vtrum sibi sit placatus ignorat? Quam re est adhuc aliud sollicitius formidandum, ne qui placare iram possit creditur, hanc ipse ex reatu proprio mereatur. Cuncti liquido nouimus, quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Qui ergo adhuc desiderijs terrenis astringitur, caueat ne districti iram iudicis grauius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Solerter ergo se quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat, ne is, quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri audeat pro culpis aliorum.

Prodat igitur ita se publice Episcopus vt quicumque populo inciderint, siue sint res iucundæ, aut aduersæ, siue lætæ, aut tristes, seu morbi, lues publica, persecutio, damna vel rei familiaris, vel honoris, ac status, aliique humane vitæ casus, & denique quicquid graue contigerit, de quo dubitari possit, quæ ratio iucunda, quæue cautio adhibenda sit, tunc vnusquisque possit in Præsulem suum oculos conicere, ab eoque veram in omnibus petere disciplinam, rectamque rerum gerendarum rationem, ob id enim docet noster *Ap. 1. ad Th. 4.* his verbis: Esto exemplum

ſidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in Fide, in caſtitate, & *ſanctus Petrus* 1. cap. 5. Forma facti gregis ex animo. Ieiunia aliis qui indicat, deſungi illis ipſemet debet; qui vult alios largiri pauperibus, vult celebrari Miſſas, iniurias condonari, vitari ignauiam, & murmurationem, leges verantes luxum ſeruari, ipſe præire debet, ipſe idem iuris in ſe familiamque ſuam ſtatueret: exemplo denique ſuo præcepta omnia ſancire, & confirmare. Ex his intelligi poteſt oportere ipſummet, cuius eſt præcipere populis opera bona, atque à malis & prauis illos reuocare, harum omnium actionum quaſi curriculum eſſe perfunctum, vt ordinis locique ſui muneri reſpondeat, quod admonet *Diuus Hieronymus ad Nepotianum epiſtol. ſecunda*, his verbis. Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet intra ſe dicere poſſit, cur ergo hæc quæ dicis ipſe non facis? delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre diſputat de ieiuniis. Et idem ad ſecundum. Ignominia & confuſio eſt Ieſum Crucifixum, pauperem, & eſurientem faris prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre.

16 Exemplar probitatis ſuæ (vt ſupra dicebam) Episcopus præbere debet, quia homines, vt inquit *Lactantius*, loco ſupra relato, malunt potius exempla, quam verba: quia loqui facile eſt, præſtare vero difficile: quantoque alterum altero difficilius eſt, tantò vtilius atque præſtantius. Vnde grauiffimè, & prudentiſſime *Seneca* dicit. Eum elige Doctorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris. Talis ergo debet eſſe Episcopi vita, quam *Diuus Hieronymus* depinxit his verbis. Ea debet eſſe conuerſatio, & eruditio Pontificis, vt omnes motus, & greſſus, & vniuerſa eius opera notabilia ſint. Veritatem mente concipiat, & eam toto habitu reſonet, & ornatu: vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina ſit populorum. Virtutis enim ſpecies pulcherrima eſt, & quæ ipſa per ſe homines non ſolum ad amorem, ſed etiam ad imitationem ſui trahat, ſinis igitur Episcopalis adminiſtrationis alius non eſt, quam commiſſos populos doctrina, & exemplo ad Deum dirigere; atque Moſis exemplo è tenebris Aegypti, ideſt huius ſæculi caligine, eripere, vt ad cæleſtem promiſſionis terram traducantur.

17 Hinc *Diuus Cyprianus* Cornelium Pontificem laudat, quod exemplo ſuo populum ſibi ſubiectum ad Fidei confeſſionem incitauerit. Dum præcedis, inquit, ad gloriam multos feceris gloriæ comites, & confeſſorem populum ſuaſeris fieri, dum primus paratus es pro omnibus conſiteri.

18 Hinc etiam dicitur in cap. 1. *Concil. Tridentini de reformat. ſeſſ. 22*. Nihil eſt quod magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam ſuperiorem vitam & exemplum, &c. adeo vt non alia breuior, non efficacior via ad populi mores corrigendos ſit, quam probi Principis vita, ſicut nullius peſtilentiæ, neque citius corripit, neque latius ſerpat contagium, quam improbi.

19 Episcopus ſicut vite ſuæ integritate alios ad virtutis ſtudium prouocare debet, ita etiam Sacerdotes, vt dicit *ſanctus Gregorius libr. ſeptimo regiſtri*

epiſt. 107. his verbis: Cum Sacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, itaut quicquid ea ornatus eſt, cunctis ſe imitandum debet oſtendere: vt exemplo ſuo nulli nocere, ſed vitam potius valeat componere ſubditorum. Nam ſatis noxiū atque pernicioſum eſt, vt imitatione ipſius, quæ ædificari debuerant, deſtruantur. Sacerdotium eſt, ait *Venerab. Beda* cap. 8. *ſuper Eſayam*, ſua opera ſanctificatione ſpeciali præ cæteris digna facere, atque inſigniter agere, vt quicunque ſibi iunguntur nomen Domini in ſe ipſis bene viuendo ſanctificent. Quod & eximie docet *ſanctus Ioann. Chryſoſtom. libr. tertio de Sacerdotio*. Sacerdotis animi pulchritudinem ſplendescere oportet, vt oblectare pariter, & illuminare poſſit illorum animos, qui ſuos in illum oculos coniciunt. Nam vulgariū hominum delicta velut in tenebris commiſſa auctores ſuos ſolos perdunt: cæterum hominis illuſtris, ac vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum aſſert, & parua eius peccata, aliis magna videntur: neque enim peccati magnitudine, ſed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur. Eleganter id docet *ſanctus Ambroſius libr. primo Offic. cap. quinquageſimo*. Decet actuum, operumque noſtrorum teſtem eſſe publicam exiſtimationem, & atteſtationem, ne derogetur muneri: vt qui videt miniſtrum Altaris congruis ornatu virtutibus auctorem prædicet, Dominum veneretur, qui tales ſeruulos habeat, laus enim Domini, vbi munda poſſeſſio, & innocens familiæ diſciplina. Et *ſanctus Chryſoſtomus homil. 10. operis imperfecti in Matth.* Propter bonam, inquit, conuerſationem ſuam Sacerdotes ſunt Sal, quoniam bona conuerſatio Sacerdotum conditura populi eſt. Propter verbum autem doctrinæ lux, quoniam verbum ignorantie lumen eſt. Prius autem vocauit eos Sal, poſtea autem lux, aut quia prioris loci eſt ſeruare, quos habes, ſecundi autem vocare quos non habes, aut quia prius eſt bene viuere, ſecundo autem bene docere.

20 Hæ ſanctorum Patrum auctoritates licet de Sacerdotibus tantum loqui videantur, & Apoſtolus de Episcopo tractans nullam in præſenti Presbyteri mentionem facere videatur, tamen vno Episcopi nomine vtrumque Sacerdotem maiorem, & minorem, Antiquitatem, & Presbyterum complectitur, ac proinde ambobus eadem prohibitatis, & Sanctimonie documenta conſtituit; hoc ipſum ſuper hunc Apoſtoli locum 1. ad *Timotheum* cap. 3. docet *Diuus Hieronymus*, his verbis. Queritur cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem, ſed eos in Episcoporum nomine comprehendit, quia ſecundus imò pene vnus eſt gradus. Et *S. Ioann. Chryſoſtom. homil. 11. in priorem Timotheicam*. Poſtquam, ait, de Episcopis dixit, eoſque formauit, quidnam illos habere conueniat, à quo item abſtinere neceſſe ſit dictans, omiſſo interim Presbyterorum Ordine, ad Diaconos tranſit. Cur id quaſo? quia ſcilicet inter Episcopum, atque Presbyterum intereſt ferme nihil. Quippe, & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt, ſola quippe ordinatione Superiores illi ſunt, atque hoc habent plus, quam Presbyteri habere videntur. Conſentit & Ambroſio adſcriptus in eundem locum

commentaries. Post Episcopum, ait, Diaconi Ordinem subiicit. Quare? nisi quia Episcopi, & Presbyteri una ordinatio est? Vterque enim Sacerdos est, sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus. Hæc Apostoli monita, & decreta licet quoad obligationem, & munera Episcopis, & Presbyteris communia esse non diffiteamur, Episcopatum tamen Ordinis, potestatis, iurisdictionis, ac dignitatis gradu Sacerdotio antecellere verumagnoscimus, ut de fide definit. *Concil. Trid. sess. 23. can. 7. & docent s. Dionys. cap. 4. Eccles. Hierarch. Anaclet. Epist. 2. Augustin. in Psalm. 44. Leo epist. 88. Ecdæ in cap. 10. Luca, Isidor. lib. 2. de Divinis Officiis. quatenus docent Episcopos tenere locum Apostolorum, Presbyteros vero septuaginta Discipulorum.*

21 Quomodo enim bonorum nos Pastorum exempla tam potenter ad virtutem alliciunt, ita contra malorum longe potentius ad malum trahunt: natura enim nostra (ubi per peccatum lapsa est) ad vitia, quam ad virtutes proclivior existit. Nihil enim, ait quidam, tam facile discimus quam turpitudinem, & nihil tam difficile dediscimus. Ideoque, ut *Gregor. in Pastoralis* ait, nemo in Ecclesia magis nocet, quam qui perterse viuens, nomen, aut gradum sanctitatis tenet. Hinc *Augustin. lib. de Pastor.* Omnis qui male vivit in conspectu eorum, quibus prapositus est, quantum in ipso est occidit, & forte, qui imitatur, moritur; qui non imitatur, vivit: tamen, quantum ad illum pertinet, ambos occidit. *Marcus etiam Tullius lib. 3. de legib.* eadem de Principe seculari dicit, quæ ad Ecclesiæ Principes non minus pertinent: nec solum, inquit, vitia concipiunt ipsi Principes, sed ea infundunt in civitatem: neque obsunt, quod solum ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plus exemplo, quam peccato nocent.

22. Facit illud *Claudianus*.

Totus componitur orbis, Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus, Humanas edicta valent, quam vita regentis. Et illud *Platonis*, Quales in Rep. Principes, tales reliquos solere esse ciues.

23 Vita enim Principis (dicit *Plinius in paneg. Traiani*) censura est, ad quam dirigimur, ad quam conuertimur: quia, ut idem inquit, Non tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Vnde necesse est, dicit *D. Gregor. lib. 24. moral. cap. 30.* ut is, qui præest, quæ exempla subditis præbeat, solerter attendat, & tantis se faciat vivere, quantis præest. Oportet Principem, dicit *Petrus*, moribus imperium docere. Et quicquid Principes faciunt, dicit *Quintil. decl. 6.* præcipere videntur. Vitæ splendor, & claritas, dicit *s. Basil. in Psalm. 1.* plebsque eorum, qui proni & lubrici sunt ad peccandum, ad consimilem emulationem inuitat. Sicut enim bona Principis vita, scripsit *Egesipp. lib. 2. de excid. Hierosolym. cap. 5.* probitatis quadam præscriptio, & per vniuersos forma viuendi est, ita Imperatoris colluio lex flagitiorum est. Studiose plerique, ait *Cicero, lib. 1. de officiis*, facta Principum imitantur. A capite, ait *Seneca lib. 2. de elem. cap. 2.* bona valetudo. Nam, ut dicit *s. Gregor. lib. 24. moral. cap. 30.* Non debet hominum ducatum suscipere, qui nesciat homines, bene viuendo præire. Nihil enim magis est, quod ad pietatem &

Dei cultum alios assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicant. *Concil. sess. 22. de reform. cap. 1.* Vnde Iesus Dominus noster capit primum facere, & postea docere *Act. 1. & Apost. ad Hebræ. cap. 9.* Si ipsi filij eius sumus, quæ ipse facit, imitari debemus *cap. Dominus in fine, 56. dist.* ut ceteri humilitatis, & virtutis exempla petere possint, nihil permitiendo, quod à sancto instituto sit alienum, *Concil. Triden. sess. 25. de reform. cap. 1.* respiciendo etiam ad exempla, ut à nobis sequantur ex illo *Exech. cap. 47.* abstinendo in factis & dictis non solum ab omni malo, sed ab omni, quod speciem habet mali, id enim specialiter vitare debent viri perfecti, ut dicit *tex. in Clem. exini à Paradiso §. cum amnis, de verbor. signif.* Cum ipsorum sit proprium facere, exemplisque monstrare: non more Phariseorum, qui allegant onera graui, imponentes ea humeris hominum, sed digito suo nolunt ea mouere *Matth. 23. & s. Bernard. in festo Omnium Sanctorum serm. 1.* Memento voci tuæ dare vocem virtutis, ut opera verbis concinant, & verba operibus: & ut cures primum facere, quam docere: namque pulcherrimus est ordo, & saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu prior portes, & ex te discas qualiter oporteat alijs moderari, ut sic oues commissas arguere possis *cap. 2. 25. dist.* quia (ut dicit *Gregor. lib. 23. moral. paragraph. 36.* relatus in *cap. hoc habet proprium 46. dist.*) doctrina tanto vehementius elationis fugit vitium per cognitionem, quanto ardentius suorum verborum iaculis magistrum sequitur elationis. Prælati igitur, ut dicit *Gregor. in suo Pastoralis*, plus occidunt exemplo quam gladio. *Paulin. de visitat. par. 2. quæst. 9. numero 29. vers. 6.* dicit. Et plus peccant exemplo, quam culpa *Ioan. Lecirier in tract. de primogen. libro primo quæst. 9.* quia ipsorum factum de facili trahitur in exemplum à subditis *cap. magna, de voto, iuxta illud Ecclesiast. 10.* secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector ciuitatis est, tales inhabitantes in ea *cap. præcipue 11. quæst. 3.* & ideo subditorum errata Prælati imputantur *cap. quicquid 1. quæst. 1. cap. inrefragabili, de officio, Ordin.* Quomodo enim Præles Ecclesiæ potest auferre malum de medio eius, qui in delicto simili corruerit, aut qua libertate corripere peccantem potest, cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem admisisse, quæ corripit, *cap. vltim. 25. dist. finit.* Nullum, inquit *s. Gregor. homil. 17. in Euangel.* puto Fratres carissimi ab alijs maius præiudicium, quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debui-

24 Prælati peccans, ut dicit *Gregor. par. 3. adm.* tot moribus dignus est, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit. Vnde tanto cautius debet se à peccato custodire, quanto peccando non solus tantum moritur, sed omnium animarum, quas prauis exemplis destruit, reus est, & *s. Chrysostom. lib. 6. pest. med. de sacerdot. peccatum illius, qui aliorum curæ præfectus est pessilentissimum esse scribit, & quidam modernus ait non ita atramento infici panum, aut lanam, sicuti illius culpa in alios*
e iij

peruadit, qui illius fidei crediti ſunt.

25 Sunt nonnulli, vt ait *Gregor. libro primo, Paſtor. capite ſecundo*, qui ſolerti cura ſpiritualia præcepta perſcrutantur, ſed quæ intelligendo peccant, viuendo conculcant. Repente docent, quæ non opere, ſed meditatione didicerunt, & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit vt cum Paſtor per abrupta graditur, ad præcipitum grex ſequatur. Hinc namque per Prophetam *Ezech. cap. 34*. Dominus contra contemptibilem Paſtorum ſcientiam queritur dicens. Cum ipſi limpidiſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis; & oves, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbauerant, hæc bibeant. Aquam limpidiſſimam Paſtores bibunt cum fluente veritatis recte intelligentes, hauriunt: ſed eandem aquam pedibus perturbare, eſt ſanctæ meditationis ſtudia male viuendo corrumpere. Aquam ſcilicet Paſtorum turbatam pedibus, oves bibunt, cum ſubiecti quique non ſectantur verba, quæ audiunt, ſed ſola, quæ conſpiciunt exempla prauitatis imitantur. Qui cum dicta ſitiunt, & per opera peruertuntur, quaſi corruptis fontibus in potibus lutum ſumunt. Nemo amplius nocet in Eccleſia, quam qui peruerſe agens, nomen, vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Qui ergo ad Sanctitatis ſpeciem deductus, vel verbo ceteros deſtruit, vel exemplo, melius proſecto fuerat, vt hunc ad mortem ſub exteriori habitu terrena acta conſtringerent, quam ſacra officia in culpis ceteris imitabilem demonſtrarent, &c.

26 Idem *Gregor. apud Gregor. VII. lib. regiſt. epiſt. 34. ante finem*, ſic ait. Malis ſubelle Paſtoribus quid aliud eſt, niſi vt plebs populanda prædonibus permaneat, & inde ſumat interitum, vnde protectionis debuit habere ſubſidium; Sacerdotes enim mali cauſa ſunt ruinæ populi. Contra quos *Iſidor. de ſummo boyo capite 36*. in hæc verba. Plerique Sacerdotes, & Clerici prauè viuentes, forma ceteris in malum exiſtunt, qui in bonis exemplum eſſe debuerant. Hi enim quoſcuſque exemplo malæ conuerſationis ſuæ perdunt, de illis rationem ſine dubio reddituri ſunt. Ex carnalium præpoſitorum exemplo plerumque fit vita deterior ſubditorum, & plebis merito ſiunt tales Sacerdotes, qui exemplo deteriore populum deſtruunt, non ædificant, ex merito enim plebis nonnunquam Epiſcopi deprauantur, quatenus procliuſ corruant, qui ſequuntur, capite languſcente, cætera corporis membra inſciuntur. Vnde, & ſcriptum eſt *Eſai. 1*. Omne caput languidum & omne cor merens à planta pedis vique ad verticem non eſt in eo ſanitas. Caput enim languidum, doctior eſt agens peccatum, cuius malum ad corpus peruenit, dum eo vel peccante, vel prauè docente, peſſifer languor ad plebes ſubditas tranſit. Deteriores ſunt, qui ſue doctrinis, ſue exemplis, vitam morſusque bonorum corrumpunt, hiſ, qui ſubſtantias aliorum, prædique diripiunt. Grandis, inquit *Hieronym. in cap. 44. Ezechiel*. dignitas

Sacerdotis, ſed grandis ruina ſi peccet, latamur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum; non eſt tanti gaudiij excelsa tenuiſſe, quam meroris de ſublunibus corruiſſe. Nec enim ſolum pro delictis noſtris reddemus rationem, ſed pro omnibus quorum abutimur donis, & nequam fumus de eorum ſalute ſolliciti.

27 Porro cum Princeps id fit Reip. quod oculus corpori, quod intellectus animæ *Heſt. Pmt. in Ezech. 38. Chryſoſt. in Math. homil. 21*. cum ſicuti ſi nitidus fuerit, ſubditorum corpus illuſtrare, ſic & ſi ſordidus obumbrare totum eſt neceſſe; fermenti inſtar, quod quamvis modicum, totam inſicit maſſam *Apoſt. 1. ad Corinth. 5*. Sicut igitur oculo cæco, ſicut intellectu obſcurato, neque corpus videt, neque anima intelligit, ſic & Principe corrupto, Reip. nulla ſalus. Nam ſi lumen, quo clarificatur, tenebræ ſunt, tenebræ ipſæ quantæ erunt. Certum eſt enim delinquente Principe, populum effici delinquentem, delicto tamen longe grauiore ſolus ipſius, quam populi vniuerſi exiſtimando.

28 Quid ſunt Epiſcopi, quærit *Gregor. ad Epiſcopum Conſtantiноп. niſi aſtra cæli*, quorum vita ſimul, & lingua inter peccata erroresque hominum, quali inter noctis tenebras, lucent. Hinc *Bernardus epiſt. 127. ad Guſelmum Comitem* ita dicit. Si quis de populo deuiat, ſolus perit, error Prælati multos inuoluit, & tantis obſt. quantis præeſt. Quo circa tot mortibus dignus eſt indicandus improbus Princeps, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmittit, ſicuti & tot gloriæ coronis probus quot ædificationis *Gregor. in Paſtor. 3. cap. 1. admon. 5*. relatus in cap. præcipue II. quaſt. 3. Quod autem quot ſubditos habet, tot interemit, tot enim ſpirituum ſingulis exemplis eſt homicida, quot præeſt, quot interitibus interimendus, cogita.

29 Ex dictis opportune quæri poteſt an ad officium paſtorale dignus eligi poſſit, an digniorem eligere teneamur? ad cuius quaſtionis deciſionem præmittendum eſt cum *Rebello de obligat. iuſtit. par. 1. lib. 3. quaſt. 2. numero 1*. quem refert *Campan. in diuerſorio iuris Canonici rub. 7. cap. 6. numero 73*. dignum votari, quicumque habet ſufficientiam, & omnes partes ad prædicta munera, prout oportet, miniſtranda, licet comparatione alterius, maiorem ſufficientiam habentis (qui hoc caſu dicitur dignior) vtiliſque adminiſtratori minus dignus exiſtat. Quo ſuppoſito relictis multis, quæ ad hoc præpoſitum adducunt ex fonte Sacræ Scripturæ, & ex Lege naturali *Alexand. Rgund. diſtina. deciſ. 34. in princip. & à numero 179. Rebello d. lib. 3. quaſt. 4*. videtur dicendum, quod quamvis alieni negotio præfectum eligere debens, ſatis officio ſuo functus eſſe videatur, ſi dignum hominem pro negotij conditione præfecerit, ad Epiſcopale tamen officium, cum reliqua omnia longe ſuperet, non modo dignum, ſed etiam digniſſimum eſſe deſtinandum, & maximis rationibus comprobari, & Sacrarum litterarum apertiſſimis teſtimoniis demonſtrari ſatis poteſt.

30 Trina illa Domini Saluatoris interrogatio *Ioan. 21*. abunde ſane noſtrum probat inſtitutum, qua non quidem ſimpliciter, ſed per comparationem caute, & vigilanter interrogat.

Simon Ioannis diligis me plus his, hac enim prima Pastoris Ecclesiastici electione formam ceteris prescribere volens non simpliciter interrogat, Diligis me, sed Diligis me plus his; ut videlicet non pari virtute, & charitate fulgentem, sed ceteros antecellentem ad tantum hoc munus deligendum esse declararet. Natura enim ipsa dictare videtur, ut qui alijs officio, ac dignitate praefertur, ceteros vitae splendore antecolat, quemadmodum Pastor gregi suo praestantior, & dux milite suo fortior, & Rex subditis suis debet esse sublimior. Qui ergo maiorem in Pastore, quam in ouibus claritatem ante electionem requisivit, aperte docuit digniorem Sanctioremque subditis esse debere, qui eis regendis, atque dirigendis praeficeretur. Quomodo enim, ut *D. Ambrosius* ait, credam cum consilio superiorem, quem videam moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro; Cuius rei cum multa quidem, & praeclara exempla adduci possint, nullum tamen aut maius, aut illustrius est, quam ipsius Dei Opt. Max. qui cum Ecclesiae suae prouidere Pontificem, & Pastorem voluisset, cum elegit, quo neque in caelo, neque in terra vllus erat dignior: nempe vnicum filium suum, quem non modo auctorem salutis nostrae, sed etiam Pontificem, Summumque Sacerdotem in mundum destinauit: cum tamen alios ad hoc ipsum delegare potuisset. Quod idem ipse filius per *Esaiam*, cap. 43. significauit, dicens. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me: ubi alius interpretes euidentius vertit. Ego, Ego ille ipse sum, qui deleo &c. ut aperte intelligas nulli alij medendi peccatis nostris curam credidisse fuisse, quam ipsi vnigenito Filio Dei. Si igitur Deus Pater tanti animarum nostrarum salutem fecit, ut cum Angelos, aut Archangelos, aut Sanctissimos Patres ad hoc destinare potuisset, omnibus his praetermissis, cum elegit, quo dignior esse, aut cogitari nemo potest; qua qualo fronte tu in Vicarium, & Successorem Superni huius Pontificis indigniorem eligas cum possis eligere digniorem? Cur minoris facias, minusque charam ipse habeas salutem tuam, quam ille habuit, ad quem nihil salus tua pertinebat? Super Apost. vetantem quemquam inconsiderate, subito, temere, sine diligenti vita, doctrinaeque exploratione ordinari *1. ad Timoth.* 5. ibi, Manus cito nemini impolueris, *s. Chrysost.* homil. 16. in *1. Timoth.* ita dicit. Quid sibi vult cito? non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit, exactissimaque discussio, huic impo-nito manus. Neque enim ea res periculo caret, eorum enim, qui ille peccauerit, tu quoque poenam dabis.

31 Qua in re Concilium Trid. sess. 24. de reformat. capite primo, eos peccare mortaliter, & peccatis alienis communicare asserit, qui digniores, & Ecclesiae magis utiles Pastores praeficere non curauerint, his verbis. Si in quibuslibet Ecclesiae gradibus prouiderent, scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque praeposterum, multo magis elaborandum est, ut in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiae domini status, & ordo mutabit,

si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vnde et si alias Sancta Synodus de promouendis ad Cathedrales, & superiores Ecclesias nonnulla vtiliter decreuit; hoc tamen munus huiusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut cum primum Ecclesia vacauerit, supplicationes, ac preces publice, priuatimque habeantur, atque à Capitulo per ciuitatem, & diocesim indicantur, quibus Clerus, populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare. Omnes vero, & singulos, qui ad promotionem praeficiendorum, quodcumque ius quacunque ratione à Sede Apost. habent, aut alioquin operam suam praestant nihil in ijs pro praesenti temporum ratione innouando, hortatur & monet, ut imprimis meminerint nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem vtilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiae gubernandae idoneos promoueri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiae magis utiles ipsi indicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curauerint. haec tenet Concilium. Et ad hoc propositum *s. Hieron.* in commentar. ad cap. 1. epist. *Titiano* sic ait. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia Tribu eligitur Iesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini aut humano effectui deferendum esse, sed vitae.

32 Optime *s. Thom.* 2. 2. quæst. 185. art. 3. circa assumptionem alicuius ad Episcopatum, aliquid considerat ex parte eius, qui assumitur, & aliquid ex parte illius qui assumit. Ex parte enim eius, qui assumit vel eligendo, vel prouidendo, requiritur quod digniorem eligat, & meliorem assumat quoad regimen Ecclesiae, qui scilicet possit eam & instruere, & defendere, & pacifice gubernare. Vnde contra quosdam *s. Hieronym.* dicit quod quidam non quarunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiae prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum iunt obsequijs deliniti, vel dediti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent muneribus impetrarunt. Ex parte vero eius qui assumitur requiritur ut nulla vitiorum nota sit maculatus; grauius enim condemnabitur, qui indignus suscipit, quod non meretur. Qui regimen Sacerdotis contendit appetere, ante in se discutiat si vita honori sit congrua: plerique Sacerdotes suae magis utilitatis causa, quam gregis praesse desiderant. Quomodo autem vires suas periclitari, & expendere debeat docet *s. Gregor.* in praefatione sui Pastoralis dicens. Cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc rite perueniens, qualiter viuat: & bene viuens, qualiter doceat, & recte docens infirmitatem suam, quotidie valet quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut prauectioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut vitam praesumptio extollat. Nunc vero ut profint Praefules fieri non

cupiant, ſed magis vt diuites fiant, & honorentur, cuſcipiunt enim ſublimitatis culmen non pro Paſtorali regimine, ſed pro ſolius regiminis, vel honoris ambitione, atque abiecto opere dignitatis ſolam nominis ſuperbe appetunt dignitatem. Hi vbi primum cognoscuntur reiſciendi, illi vero qui antequam altiffimum dignitatis gradum obtinerent, omnibus virtutibus præditi videbantur, & poſtea in regimine alij apparent, non eligentis culpæ imputari debent, quemadmodum enim agnoſcere non potes ſit nec ne integrum vas, niſi illud liquore impletur: ita nec hominem, niſi illi gubernandi munus fuerit commendatum.

33 Dubitari non abs re poteſt an Cardinales peccato commaculentur, reſtitutioneque vinciantur, qui non impediunt nominatum, ſi alterum digniorem arbitrentur? Ad quod dubium perdoſte quidem reſpondet Paleſt. in tract. de ſacr. conſiſt. conſult. par. 4. queſt. 1. verſ. quo loco, & ait ad Cardinalium auctoritatem & officium non proprie pertinere aliquem ad Episcopatum admittere, ſed tanquam Papæ conſiliarios non ulterius obligari, quam vt ad eas res, de quibus à Papa requiruntur, & conſuluntur fidele præſtent reſponſum, per tex. in cap. fundamenta §. decet, de elect. lib. 6. itaque cum Pontifex in Episcoporum promotione non aliud ab iſtis Cardinalibus exquirat, quam iudicium, ſi propoſitum Episcopali dignitate dignum arbitrentur; ideo non ad aliud obligantur, quam ad interrogata reſpondere, illumque approbare, ſi ita credant: imò & Cardinales omnes tutam reſpondendi, ferendique ſuffragij ſui rationem colligere poſſe addit ex teſtimonijs quatuor Cardinalium in publicam formam redactis, & ab eis ſubſcriptis, quibus inqueſitio committitur de promouendi qualitatibus.

S V M M A R I V M.

- 1 Rationes expenduntur, quare bigamos ad Eccleſiaſticos Ordines aſcendere non conueniat.
- 2 Filios habens non poteſt habere frontem alios de incontinentia redarguendi.
- 3 Caſtitaſis eminentiam inter omnia virtutum ornamenta debet Episcopus habere.
- 4 Continentia, & calibatus non eſt per ſe de iure diuino ſacris Ordinibus annexus.
- 5 Coniugatus nullo modo poteſt in Episcopum eligi, etiamſi eius vxor atate promecta, nec ſuſpecta de incontinentia caſtitaſtem in ſeculo vocat, ſed requiritur, vt ea ſimpliciter religionem proſiteatur.
- 6 Filios habens an poſſit in Episcopum eligi, queſtio dubia, pro parte affirmatiua rationes expenduntur.
- 7 D. Petrus vxorem habuit, & ex ea filiam Petro-nillam.
- 8 Clemens IV. & Alexander VI. filios habuerunt.
- 9 Expenduntur rationes pro contraria opinione.
- 10 Amor paternus omnem alium vincit.
- 11 Eli ob ſuos filios in via Domini non ambulantes primatus fuit ſacerdotio.
- 12 Priorem ſententiam ſequitur, & contrarijs fundamentis reſpondetur.

VNIUS VXORIS

Virum.

GLOS. IIII.



V M bis coniugatus non poſſit apte ſignificare vni-onem Chriſti cum Eccleſia vnica ſua ſponſa, quia non eſſet vnicus, ex quo diuiſit carnem ſuam in plures cap. Ac-tius 26. diſt. cap. debitum, & ibi gloſ. verbo ſacramentum, de bigamis, ideo noſter Apoſtolus dicit vt iſ Episcopus ordinetur, quem vnus vxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtiterit: tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, vt etiam de muliere Sacerdotis eligendi, eadem intelligeretur ſeruanda conditio: ne forte illa prius quam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuiſſet vxorem, alterius viri eſſet experta coniugium. Si etenim in veteri Teſtamento Leuit. 21. hæc Sacerdotalium coniugiorum forma ſeruata eſt, quanto magis ſub reuelata iam gratia conſtituti Apoſtolicis debemus ſeruare præceptis, vt quamuis quis bonis moribus præditus & ſanctis operibus inueniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad Diaconi gradum, vel ad præbyterij honorem, vel ad Episcopatus culmen aſcendat, ſi aut ipſum non vnus vxoris virum, aut vxorem eius non vnus viri fuiſſe conſtiterit, vt ex Leone epiſt. 85. vel 87. cap. 1. ad Episcopos Africanos reſert Anton. Auguſtin. in epitom. inſis Pontificij veteris lib. 4. tit. 7. cap. 7. Et ideo Iſidor. lib. 2. cap. 6. de Eccleſ. offi. aſſerit quod vt vnus virginalis matrimonij ſint, qui eliguntur ad Ordinem Pontificatus, Sacerdotem quatit Eccleſia, aut de Monogamia ordinatum, aut de Virginitate ſanctum. Nullo pacto, ait D. Hieronim. ad Oceanum, bigamos, vel concubinos catenis inſertos decet ſubire Sacerdotij miniſterium. In Leuitico 21. Scriptum eſt præſinitum eſt quales eligi debeant Sacerdotes; ſi ergo clericus monogamus fuerit, & vxor eius digama, noli eum ad miniſterium applicare. Hæc Tito præcepta idem Apoſtolus de ordinandis clericis dedit.

2 Quomodo poterit eſſe hortator viduitatis, caſtitaſtis, & continentia qui coniugia frequentaue-rit: c. vna c. fin. 26. diſt. cum dicamus quod habes filios non poteſt habere frontem alios de incontinentia redarguendi cap. ſicut verſ. unde cum Paulus 47. diſt. Habebit igitur Episcopus, vt inquit Iſidor. de Eccleſiaſt. offi. lib. 2. cap. 6.

3 Inter cætera virtutum ornamenta, & caſtitaſtis emineſcentiam, itaut mens Chriſti corpus conſectura ab omni inquinamento carnis ſit munda, & libera, quia dum ſecundum carnis aſſumptæ myſterium Eccleſia ſua fuerit dignatus caput exiſtere ipſe Chriſtus, merito in membris eius intentio Episcoporum officia peragere cernitur oculorum. Ipſi enim de ſublimioribus celſitudine ordinis regunt, & diſponunt ſubiectas multitudines plebium: vnde quanto